

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**Socis et Lectoribus commentarii nostri humanissimis.**  
**Quaestiones eschatologicae.** Utrum Purgatorii ignis sit realis an metaphoricus.  
**Selecta ex bibliothecis et archivis.** Multam dandam esse litteris, at non multis operam.  
**Armorum socii.**  
**Ad sanitatem tuendam.**  
**De Paulo Veronensi pictore deque eius tabula Magos Reges referens ad pedes Iesu.**  
**Ludi puerorum apud Italos.** Ad terram respice et lupum cave.

**Acta Pontificia.** Constitutio Apostolica de Sanctissima Eucharistia promiscuo rito sumenda.  
**Diarium Vaticanicum.** Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita funeti viri clariores.  
**Annales.** Balkanicum bellum. — Mauritanie res. — Russica pactio de Mongolia.  
**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**  
**Per orbem.**  
**Aenigmata.**  
**Appendix; Ad Romanam.**

# SOCIIS ET LECTORIBUS

## COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Solent, sub anni exitum, commentarii, sive diurni sive certo tempore editi, magnis typorum formis grandiloquisque verbis ac promissionibus socios et lectores certatim allicere, ut fideles ipsis maneant, neve alio divertant. Non ita nos; qui, tria vitae lustra emensi, sublimi animo dicere possumus, unicos in via, quam cum aliis ingressi fuimus, perstissemus, ac tam fidum sociorum amorem fuisse expertos, ut iniuria fuerit vix in dubium eum revocare. Atqui eo apertius firmiusque asseverare id nobis licet, quod huiusmodi amor non aliquius privatis rationibus unquam prospexit, sed altiora petit; latinitatem dicimus illam, quam dum longe lateque negligi pessumdarique videmus, eo magis tenaci proposito ab improba atque inconsulta pugna defendere ac tueri committimur.

Ita Vox URBIS nostra ea evasit, atque erit semper, quasi «radiationis centrum, quod animos usque a remotissimis orbis partibus amice cum Romae almae matris animo coniungere valeat»; ita praestitit atque praestabit scripta, quae socii adamussim voluerunt, quae scilicet, «populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes; a litteris, ad simpli et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia, ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas a Sacris Congregationibus positas; haec omnia ut quisquis vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus, alter ab altero difformis, per commentarium hunc explere desideria sua possit».

Quod autem tribus iam annis certamen prope induximus, ubi socii ad operandum nobiscum alacrius sollicitarentur, id proximo quoque anno MCMXIII persequemur, imo augebimus: sociis enim illis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum in VOCE URBIS vulgata, a doctorum virorum collegio ad hoc convocato, commendata maxime fuerint, non praemia constituimus numismatum tantum duorum argenteorum ex iis, quae Pontificis Maximi iusu quotannis in festo Apostolorum Principis eudi solent, Sacro Purpuratorum Senatus, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; sed ipsorum numismatum numerum offerre maluimus, quem praefatum collegium pro sociorum scriptorum meritis iudicaverit.

\* \* \*

Ut autem humanissimis Vobis, qui gressus nostros comitati estis in via, iisque qui proximo anno erunt accessuri, gratum nostrae Societatis animum ostenderemus, rationes aliquot componere etiam elaboravimus, quibus liceret aut gratuito VOCEM URBIS per integrum annum MCMXIII habere, aut saltem diminuto subnotationis pretio,

quod, ut in superioribus annis, erit in Italia libellarum sex; ubique extra Italiam libellarum novem (Doll. 1, 80; Sh. 7; Marck. 7; Rubl. 4; Coron. 9).

Qua quidem in re temperanda, temporis occasione praesertim intendimus, quo facilior maioreque cum sociorum gratia ea evaderet.

Christianus orbis ad XVI centenaria sollemnia celebranda sese accingit, ex quo Constantinus, cognomine Magnus Crucis triumphum Romanaeque Ecclesiae libertatem decrevit; inter omnes constat huius Imperatoris gesta per Raphaëlem illum Sanctum eiusque discipulos in Vaticanis aedibus fuisse penicillo mire expressa, multosque deinde artifices egregias eas tabulas aere eusas reddi curavisse. Ex huiusmodi impressionibus, quae maxima ac celeberrima habetur possidet nunc in Urbe Ioannes Panatta, qui singula tabularum exemplaria, *Pugnae scilicet inter Constantinum et Maxentium*; *Visus Crucis*; *Constantini baptismi*, *Constantini donationis Pontifici factae*, eaque magnitudine cm. 118 × 84, venalia non minus quindecim libellis prostantia, favoris pretio in sociorum nostrorum commodum libenter concessit. Qui igitur *libellas octo* praeter subnotationis pretium ad nos miserit, earum alteram quam delegerit habebit, sine ullo alio impendio si in Italia commoretur; diribitorii expensis a se ipso quum recipiat additis, si in exteris civitatibus versetur. Quod si praefatas tabulas omnes maluerit, addenda ei erunt lib. 32.

Quae secundo loco suppeditamus, ea in Sacerdotum utilitatem praecipue vertuntur, et Desclée eiusque Sociis, Pontificiis editoribus, debemus. Qui quum *Novum Breviarium Romanum*, iuxta nuperas dispositiones reformatum ita confecissent, ut vir clarissimus Petrus Piacenza, antistes Urbanus, in Pontificiam Commissionem pro Breviarii reformatione cooptatus, affirmare non dubitaverit, «impossibile fore ut Clero Breviarium forma melius meliusque redactum praebeat», id Vox URBIS sociis antiquis novisque obtulerunt, pretio subnotationis ex integro prorsus detracto. Socius itaque qui *libellas quadraginta quatuor* miserit — (hoc enim pretio venit opus) — Vocis URBIS omnes fasciculos qui proximo anno prodibunt obtinebit; obtinebit et magnificentum hoc Breviarium, charta vere Indica in 16<sup>o</sup> (15 × 9) impressum, splendide ac solide ex pelle vulgo *zigrino* conglutinatum, foliorum sectione eleganter aurata. Quin etiam simul cum Breviario *gratuito* ab editrice domo «Proprium Dioecesis» religabitur, si socius id ipse miserit, aut emi iusserit, addito, prouti par est, «Proprii» eiusdem pretio.

VOX URBIS.

## QUAESTIONES ESCHATOLOGICAE

“Utrum Purgatori⁹ ignis sit realis an metaphoricus”

Angelicus Doctor, de existentia, neenon acerbitate poenarum Purgatori⁹, hisce verbis loquitur. (1): «In purgatorio erit duplex poena; una damni, in quantum scilicet retardantur a divina visione; alia sensus, secundum quod ab igne corporali punientur; et quantum ad utrumque poena purgatori⁹ minima excedit maximam huius vitae». S. Augustinus de primae poenae acerbitate scribit. (2): «Perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienaria vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei.. utam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari». Liber aureus, cui titulus est «Imitatio Christi» de secundae poenae acerbitate hisce verbis loquitur: «Ibi

erit una hora gravior in poena, quam hic centum anni in gravissima poenitentia». (1)

Circa tamen poenam ipsam sensus, quae poena ignis est, specialis exurgit difficultas, an videlicet ignis iste, realis an metaphoricus sit. Penes incredulos modernos, satis sit Zinus Zini, (2) pro quo mota quaestio, nonnisi derisionis obiectum est. Catholicorum mentem investigare, eorumque solutiones afferre placet.

\* \* \*

Mens Sanctorum Patrum a duobus theologis recentioribus ita exprimitur. Patres — scribit Einig (3) — conferunt ignem inferni cum igne terreno, nec discrimen utriusque unquam ponunt in eo, quod alter proprius sit, metaphoricus alter, sed quod ille hoc sit atrocior». Dubium esse non potest, — scribit cl. P. Pesch, (4) — quin Patres magno consensu ignem inferni materialem esse docuerint, quamvis negandum non est,

(1) Lib. I, c. 24, 4.

(2) *Il Pénitence et la moral ascétique*.

(3) *De Deo consumante*, Thes. 4, b.

(4) *Propaed.* n. 658-659.

(1) 4 Sent. d. 21, q. 1, a. 1. Sol. 3.

(2) *Enchir.* c. 112.

esse S. S. Patres qui, Origenem secuti, ignem metaphorice explicent».

Medii aevi theologi, pro corporeo igne militant. Poena, — inquit S. Thomas (1) — debet respondere culpae. Sed anima per culpam se corpori subiecit per pravam concupiscentiam. Ergo iustum est ut in poenam rei corporeae subiiciatur per passionem... Supposito quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus, oportet dicere quod anima ab igne corporeo poenas patietur... Quae (in Scripturis sacris) animabus damnatorum praenuntiant poenas corporeas, utpote quod ab igne inferni eruciaabuntur, sunt secundum litteram intelligenda».

B. Albertus Magnus (2) scribit: « Absque dubietate corporeus ignis cruciat daemones; quod fide teneo: quamvis non plenarie sit intelligibile... Standum est dictis illorum qui revelationem a Spiritu Sancto accepérunt. Illi autem dicunt, quod ignis sit corporeus... et hoc ideo tenendum et credendum ».

S. Bonaventura (3) scribit: « De poena purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis... Hac autem afflictione, ab igne corporali eis inficta, purgantur spiritus a reatibus... Ordo divinae iustitiae exigit, ut spiritus ab igne materiali habeat puniri... Tam peccator spiritus, quam homo, igni corporeo alligatur, non ut in illum influat vitam, sed ut divino decreto suscipiat poenam ».

In quadam Ephemeride (4) circa purgatorium ignem haec leguntur: « Consideratis difficultatibus, quae contra Purgatorii ignem corporalem moventur, contactus siquidem cum puris spiritibus necessarius foret, consideratisque theologorum solutionibus, quae nullimode satisfaciunt, nobis videtur, omnia haec evitari posse, si pro poena ignis benignior detur interpretatio ». Interpretatio huiusmodi in analogia quadam inter Purgatorium vitae mysticae et Purgatorium animarum post mortem fundatur. Revera: Theologia mystica, tribulationes quibus sub actione Dei anima, antequam ad se cum Deo uniendum modo perfecto perveniat, subiicitur, examinat. Summitas vitae mysticae connubium quoddam spirituale est, videlicet, sensus praesentiae Dei in anima nunquam interruptus atque divinae unionis cum ipsa. Verum, ad summitatem istam, nemini pervenire conceditur, nisi per longam tribulationum seriem transeundo, quae tribulationes « noctes » a S. Ioanne a Cruce vocantur, eo quod, tali in statu, facultates tum spirituales tum sensitivae animae, quum a delectationibus, quae in creaturis invenire consueverant, separatae sint, a noctis tenebris circumdatae veluti oculi luce carentes inveniuntur. Actio rursus amoris Dei animam per diversos gradus vitae mysticae usque ad unionem perfectam ducentis per imagines ab igne desumptas, a S. Ioanne describitur. Nox haec, ait ille,

haec cognitio amans, vel lumen divinum, animam purificat, eamque ad unionem perfectam, eo modo quo ignis lignum transformat atque comburit, disponit. Ex huiusmodi purificationis passivae, quae in vita mystica ponitur, notitia, analogia inter Purgatorium nostrum ac mysticorum Purgatorium existens facile percipitur. Analogia haec tum in nomine, tum in tribulationum, quibus anima in utroque Purgatorio subiicitur, scopo invenitur. Tribulationes siquidem tum in uno tum in alio, ad animam purificandam deserviunt, ut postea, ad perfectam cum Deo unionem perducatur. Modo, ex finis analogia, forsitan temerarium erit, ad mediorum analogiam quae nobis a Deo dantur, ut ad eum dueamur, assurgere? Ordinis divini unitas atque oeconomiae lex hoc postulare videtur. Roborantur dicta per descriptiones, quas libri « de Purgatoriis animabus » agentes, nobis tradunt. Sancta Catharina Genuensis in libro cui titulus est « Trattato del Purgatorio » descriptis animarum Purgatoriis poenis, aperte declarat, in semetipsa easdem poenas se expertam fuisse, ita ut, ignis animas torquens, nonnisi amoris divini ignis sit.

Alia quoque analogia inter utrumque Purgatorium assignatur. Etenim profunda nox, vacuum quod ab amore mystico in animabus producitur, quodve facultates earumdem sensitivas inertes reddit, vividius ab animabus Purgatoriis experitur, quum in eis facultates sensitivae nedum ligatae, sed propter corporis dissolutionem, extinctae sint. Ideoque anima, actiones sensuum externorum, uti videre, sentire, etc., exercere amplius non valet; sedet solitaria, atque respectu vitae suae interioris, veluti tenebroso circumdata carcere. Anima rursus, in ordinariis intellectus operationibus turbata, neque ad ratiocinandum prout ei placet valens, licet suprema occupetur veritate, homini febri laboranti comparatur, qui clamat: « Neque ad cogitandum neque ad ideas colligendas, valeo ». Voluntas praeterea, quum in Dei charitate, qui eam ad se vi irresistibili attrahit sit absorpta, una ex parte gaudio superabundat, ex alia vero propter suarum poenarum sensum, amaritudine opprimitur. Anima denique, vanitatem rerum mundanarum propter earum ad Summum Bonum quod ipsa clarius videt oppositionem tam vivide percipit, ut repulsionis ac abominationis affectus erga omnia quae non dueunt in Deum oriatur. (1)

\* \*

Modernorum theologorum sententia ad antiquorum sententiam accedit. Theologi catholici, — inquit Einig, (2) — nemine fere excepto, quamvis in modo rem explicandi difficultatem non diffiterentur, ac in diversa abirent, in igne vero ac proprio admittendo usque ad hodiernum diem conspiraverunt ». Knabenbauer (3) scribit: « Christus ea voce utitur in sententia iudiciali, qua fieri nequit, ut ignis solum metaphorice dicatur

(1) Suppl. 70, 3 ; 100, 5; opusc. 1. c. 183, ad F. Reg. Vives 25.

(2) Sent. d. 44, 37, 38.

(3) Brevil. q. p. 7, c. 2 et 6.

(4) Revue du Clergé français, 1. Oct. 1902.

(1) Cf. parvum librum P. Feri, *De alio mundo*.

(2) *De Deo consum. Thes. 4.*

(3) In MATTH. 25, 41; II, p. 383.

de angoribus ac cruciatibus conscientiae. Talis acceptio insuper excluditur, quum reprobi iubeantur in illum ignem ingredi, qui paratus est diabolo. Quibus verbis supplicia exprimuntur, quae a causa quadam externa cruciante infliguntur. Haec causa nomine ignis significatur, igne autem dolores infliguntur quam maxime acuti et ingentes... Est itaque ignis, sed sui generis».

« Communiter — ait P. Pesch (1) — docent theologi poenam sensus (praecipue) effici per verum ignem. Addunt vero, hoc non esse dogma fidei neque contrariam opinionem mereri gravem censuram: satis enim est, si improbabilis censeatur».

« Fit ne purificatio animarum per ignem an non? » quaerit Oswald. (2) « Respondemus: non adest necessitas quaedam dogmatica ignem realem admittendi. Plures theologi putant, quod sententia haec est fidei proxima» sed sine sufficienti ratione; Ecclesia enim nihil definivit, et Patres partim opinando, partim dubitando mentem suam manifestant. Interea, putamus nos, sententiam, quae in Purgatorio ignem admittit longe esse ceteris probabiliorem: *a)* Quia non repugnat ignem corporalem in animam separatam agere. — *b)* Quia verba Epistolae I ad Cor. 3, de igne Purgatorii intelliguntur dicta. — *c)* Quia maior pars doctorum Ecclesiae pro igne militat».

Hisce omnibus addendae sunt Congregationum Romanarum decisiones. S. Poenitentiaria (30 Apr. 1890) parrocho Mantuensi quaerenti an poenitens asserens ignem inferni metaphorice intelligendum esse de gravissimis reproborum poenis, in suo sensu relinqu posse et absolvi, respondit: « Huiusmodi poenitentes diligenter instruendos esse et pertinaces non esse absolvendos ». S. Cong. S. Officii (19 Iulii 1893) damnavit scripta Angli Mivart, materialem inferni ignem negantis.

\*\*\*

Liceat propterea S. Augustini (3) verba repetere: « Cur non dicamus, quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi? ».

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) *Praelect. dog. t. IX*, n. 602.

(2) *Eschatologie Das Fegefeuer*, § 8.

(3) *De Civitate Dei*, 15, 10.

etiam omnium copiis atque opibus instructus, possum facile stoicis assentiri. Hinc ille doctrinarum cursus, ac tamquam orbis exsistit, quem Graeci propterea encyclopedian dixerunt: quem qui potuit universum conficere, is demum cumulate doctus ac plane sapiens existimatur. Praeclara profecto res ac magnifica, multorumque mortalium studiis acerrimis expetita; verumtamen eiusmodi, quam nondum quisquam assequi complectique potuerit. Nam, quamquam nonnullos aut legimus, aut audivimus, doctrinis omnibus excultos, sapientissimos evasisse, id non ita intelligere debemus, quasi nihil ab iis fuerit, dignum studiis hominum ac cognitione, praeteritum; sed ita, ut tantum quisque in cognoscendo profecerit, quo plus, qui simile ingenium ad discendum attulerint, paremque industriam adhibuerint, proficere non potuerunt. Nempe hanc in omni rerum natura aestimanda regulam normamque adhibemus, non ut eas per se ipsas consideremus, sed ut, ad res alias in eodem genere referendo, quantum aliis aliae praestent, iudicemus.

Nam neque magnum appellare possumus in rebus humanis quidquam, neque multum, neque aliquid tale, nisi cum aliis magnis, multis, ceterisque similibus unumquodque comparetur. Qua etiam ex re fit, ut quae summa esse in aliquo genere existimamus, ea excellere atque praestare in illo eodem genere dicamus; ut non modo sine comparatione iudicare de rebus non possimus, sed neque iudicia ipsa nostra sine comparandi significatione iisdem de rebus expromere. Atque haec quidem omnis disputatio, non mea, hominis indocti, sed sapientissimi Socratis apud Platonem, ea mediaque ipsa Academia repetita, eo pertinet, ut ne nos vulgi opinionibus abduci ab ripique patiamur, neve iis, quos in omni temporum memoria, doctissimos, sapientissimos, ac, si superis placet, minus quidem latino, verumtamen splendidissimo gloriosoque vocabulo *omniscios* appellatos cognovimus, nihil doctrinae, sapientiae, scientiae ullius defuisse arbitremur. Non est profecto, non est huius imbecillitatis ingenii nostri, non exigui huius spatii, quod est homini ad vivendum datum, non denique ipsius naturae rerum, quae in infinita cum varietate, tum difficultate versatur, omnia pervidere, omnia nosse, omnia meminisse. Fuit ista quondam Sophistarum veterum arrogantia, quorum princeps Leontinus Gorgias poposcisse in conventu Graeciae quaestionem fertur; deque omni re, quae in disceptationem vocaretur, professus fuisse, copiosissime se esse dicturum. Haud paullo arrogantior Eleus Hippias ex eadem disciplina fuit; quem ait Cicero (1) quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatum esse, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse ne sciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem, et poetarum, atque illa, quae

## SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

### MULTAM DANDAM ESSE LITTERIS, AT NON MULTIS OPERAM. (1)

... Doctrinarum omnium, ut virtutum, quoddam esse inter se vinculum, neque posse quemquam in una aliqua sic versari, ut excellat, qui non sit reliquarum

(1) Ex oratione habita de hac re Florentiae III Id. Ian. MDCCXXXIV coram Fabritio Serbellonio, Romani Pontificis ad Magnum Etruriae Ducem legato.

(1) *De Or.*, I. III, c. 127.

de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. O hominem singularem! o miram professionem, ac prope horribilem! De qua profecto idem sentiendum puto, quod de quorumdam testimonio, qui mira quaedam de Marco Antistio Pyrgensi dicerent, optimum eum colonum, parcissimum, modestissimum, frugalissimum esse; Marcus Aemilius Lepidus censor libere festiveque respondit, nihil se illorum credere (1). Certo Socrates, qui, cum Gorgia veluti compositus congressusque, de ea arte, quam sophista ille profitebatur, multa subtilissime ac prope divinitus disputans inducit a Platone, (2) eo hominem confidentissimum adigit, in easque angustias, et interrogando et instando, compellit, ut tandem loquacissimus ille obmutescat. Quique se omnia scire profitebatur, omnino, quid respondeat, reperire non possit. Quanto modestius idem Socrates quantoque commodius, id unum se scire, professus est, quod nihil sciret? Atqui philosophiam, morum illam vitaeque magistrum, primus philosophorum e caco, ut ait Tullius, evocarat, idemque eam, quae physicis continetur, universam lustrarat, et, id, quod ex *Timaeo* Platonis intelligimus, multis partibus auctam illustrarat. Quid? Aequalis Socratis Democritus? Quocum Cleanthes, Chrysippus, reliquie inferioris aetatis philosophi comparati, esse quintae classis eidem M. Tullio videntur, (3) nonne sophistarum, eiusdemque generis hominum levitatem contraria professione auctor gravissimus refutavit: «Nego — inquit — scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: ne id ipsum quidem nescire aut scire, scire nos». Nimis hic quidem, plus certe quam ille Socrates, non modo de sua, sed de omnium mortalium scientia detrahit. Potuit uterque aliquid, mea sententia, hominum studiis relinquere, neque animos a discendo tam severa tristique oratione deterrere. Sed, quamquam hominum ingenia ac facultatem ex iis augstiis, in quas illi philosophi coniecerunt, in campum paulo patentiorum eduxerimus, nec omnem omnino scientiam ex humanis mentibus sustulerimus, sciendi tamen fines haud ita multum propagabimus; nec quantaecumque, quamque diurnae nostrae contentiones exstiterint, illud efficere unquam poterimus ut non multo plura, quam quae scierimus, nesciamus. Moderemur igitur studiis nostris, discedique immensam cupiditatem illam coerceamus: ne, si omnia omnium artium scire voluerimus, plus quam natura rerum patitur, hominisque conditio fert, expetere videamur.

Quid? Si non modo non omnes artes scientia et cognitione complecti, sed ne singulas quidem perfecte ac cumulate callere possumus? Audebimusne etiam, flagrabitus, aestuabimus omnia cognoscendi cupiditate? An non potius sapienter omittentes, quae omnino nos

consequi posse diffidimus, in unam artem aliquam studio et cogitatione conversi, illam tamquam Spartam, vel quae nobis forte obtigerit, vel quam consilio delegerimus, pro virili parte exornabimus? Evidem (ne Socratem adhuc atque Democritum dimittamus) saepe mecum ipse quaequivi, quid illis hominibus, certe doctissimis, in mentem venerit tam valde testari, «nihil se scire»: ac propemodum eo aliquando adducebar, ut crederem voluisse eos, aut descendendi spem hominibus, ut soli ipsi saperent, adimere, aut potius modestiae opinionem quandam apud vulgus ea praedicatione captare. Sed neque ambitionis suspicio in tantam virtutem cadere, neque ullius invidiae potest; neque profecto, qui tam multis aliis sermonibus doctrinas hominibus commendarant, easque cum auditoribus suis in gymnasiis magna cum voluntate communicarant, quiue non minus inscientiae, quam arrogantiae reprehensionem vitandam esse intelligebant, aut aliorum doctrinarum studia retardare, aut existimationi sua detrahere quidquam voluerunt. Quid ergo est? Illud profecto. Intelligebant sapientissimi homines, scientiam mortalibus ullius artis, nisi omnia, quae ad illam artem pertinerent, perfecte tenerentur, nullam contingere: nihil esse autem in ulla arte, quod non ad singulas alias pertineret: itaque necesse ei esse, qui unam scire vellet, scire omnes: scire autem omnes non licere: igitur ne unam quidem sciri posse: ac propterea nihil se, nihil quemquam scire. Fateor esse hanc exilem quamdam (ut M. Antonii illius eloquentis verbis utar) spinosam orationem, longeque a nostris sensibus abhorrentem: sed eamdem verissimam esse confirmo, et tum ad animorum arrogantiam, si quis forte sibi scientiae opinione placuerit, minuendam, tum ad studiorum impetus, si quis omnia aut pleraque concupierit, retardandos, valere plurimum censeo.

HIERONYMUS LAGOMARSINUS S. I.

## ARMORUM SOCII

*Qui mores, legesque olim componere foedus  
Impulerint fraternum equites, et stringere dextras  
Armorum ritu, expediā. — Non taedia belli  
Non illos timor, aut trepidae socordia mentis  
Fraternas vices sociare, alternaque iura  
Armorum: at certos laudum sibi querere testes  
Ambitio voluit, comitesque optare viarum  
Errando ut longos possint lenire labores;  
Aut si quid gravius sors adversata tulisset  
Fraternis errantem animam complexibus ultro  
Ore legant, cinerique pio sacra munera solvant.*

*Legibus his equites primum atque hoc auspice ritu  
Devincire animas aeterna in foedera sueti:  
Aut ferro fratris salientem incidere venam  
Alter et alterius raptim admiscere cruentem  
Ipse suo, aut clypeos mulare ensesque vicissim.*

(1) Apud Crc. II. *De Or.*, c. 287.

(2) In *Gorgia* sive *de Rhetor.*

(3) Lib. IV. *Academ. quaest.*, c. 73.

*Quin etiam caeleste epulum frugesque sacras  
Altera sibi libandas apponere dextra  
Interdum soliti. Ex illo paria arma gerentes,  
Vestibus induiti paribus, discrimina rerum  
Ac tentare vagos incerto tramite cursus  
Ultro ausi, et paribus caput obiectare periclis.  
Magnanimi iuvenes, queis vivax gloria cordi  
Resque Dei! hinc pulcrum pro relligione volentes  
Pugnando mortem oppetere; hinc eventa subire  
Inculta, et longe terras peragrare remotas.*

*Saepe etiam armorum ludis, duraque palaestra  
Dum belli simulacra carent, certamine gaudent  
Ostentare animi vires, invictaque membra,  
Dumque alios ineunt cursus, aliosque recursus  
Orbis excipiunt, infestaque tela lassessunt,  
Cominus et gladio, aut adducta longius hasta  
Procurrunt, fervent cunei plaudente corona.*

*Quin adeo (posita mitescunt insole saecla)  
Vana supersticio, et pietas male conscientia veri,  
Militiae heroas suasit sua fratris ad aurem  
Poplite deflexo et lacrimis malefacta fateri  
Vindiciasque pati, et meritas exposcere poenas.  
Sic Galli proceres, quos barbara vincla premebant  
Dum iam illis elato ins'aret acinace tortor,  
Demisere caput ferro detergere labes  
Mentis et alterno certi se absolvere rilu.  
Sic expers terroris Eques ferale subibat  
Baiardus lethum crudeli vulneris ictu.*

*Nam dum raptus equo stipata per arma per hostes  
Volvitur, et multis angustat caedis acervis  
Qua fert cumque pedem, nullis pallere periclis  
Assuetus, mortemque ferox pro laude pacisci,  
En subito horrendum stridens vi turbinis acta  
Glans flammatu ruit, quae plumbo terga flagrant  
Diffidit. Horruerunt torpentina membra stupore,  
Ast animi crevere Viro: spirantia terrent  
Lumina adhuc, ceu flamma micant cum deficit humor.  
Armigeri excipiunt ulnis: cervice reposta  
Ipse iacet clypeo subnixus; tum crucis instar  
Compositum gemmis capulum premit aeger anhelo  
Pectore, inexpletum supremaque oscula nisu  
Figit, et armigero secreta ex ordine promens  
Crimina onusque animi ponit, veniamque precatur.*

*Scilicet obductis inculta aetate tenebris  
Coecca supersticio pietatis imagine fallax  
Illusum vanis maculavit ritibus orbem.  
At sa' tem impietas aberat, nec spreta iacebat  
Relligio: ac si quid tandem peccare necesse est,  
Haud equidem optanda haec terris bacchata propago  
Contemptrix Superum, cultumque Deumque perosa.*

NICARINUS. (1)

(1) Obscuro sub nomine latet vir clarissimus, magnis nunc Ecclesiasticis honoribus pro meritis auctus, qui carmen hoc, pro sua benignitate in nostris paginis vulgandum ultro datum, vix sexdecim annos natus compositus. Equis nostris diebus in scholis secundi ordinis ad similia heu! valeat? Scilicet alia ratione alias, alioque cum fructu latinæ rei vocabatur! — V. U.

## AD SANITATEM TUENDAM<sup>(1)</sup>

Venio igitur ad eos praesertim, qui victu paseuntur simplicis herbae, ut eos cum Ensishemensi doctore moneam, quae ipsis sibi preeferenda sint, quae vitanda.

Utilis est stomacho lactuca, remollit et alvum,  
Candidulum ac semen somnia vana levat...  
Spinachiam comedas si mollem, proice primum  
Ius: stomacho poterit sic minus esse mala.  
Haec levat in primis multum praecordia dura,  
Et fert clamoris commoda pleureticis.  
Caulis Romana, Graecorum brassica lingua,  
Dicitur haec ventris posse levare moram;  
Atque omnes narrant caligine lumina tergi  
Eius qui caulis comedit ecce comas.  
Oculorum vero acies aliis quoque herbis servatur; sic  
Herbula quam Graeci dixerunt mellisophilon,  
Borragin nostri, dentibus antidotum est;  
Lumina purgari caligine Plinius inquit,  
Illi succo perlita si fuerint.

Itemque ruta quae « occultum fertur resecare venenum, »  
... nervos schiasimque iuvat, febrisque medetur  
Et confert luscis maxime luminibus.

Contra, anetum assiduo bibitum, ut in superiore numero indicavimus, visui nocet. —  
Ad stomachi autem medelam, audite aliquot herbarum aliarum peculiares virtutes:

Vim calidam siccamque gradu fert mentha secundo,  
Quam stomachus languens maxime adesse cupit.  
Poeonias artes si vis negligere, spernas  
Andrachnen, (2) stomacho quae solet esse mala.  
Fervorem solis tamen haec comesta nocere  
Non sinit aestivum, Plinius ut docuit.  
Constat terribiles absinthia posse dolores  
Pellere citrinos; ecce potata iuvant;  
Atque iuvant stomachum mira virtute solutum;  
Anginam pellunt, fastidiumque levant.  
Non vero uni absinthio tot mirae qualitates; nam  
Capparis et folio, flore et laetare palatum  
Dicitur, et splenem posse iuvare satis,  
Atque iecur clausum valeat reserare potenter,  
Vesicae et patulas reddere posse vias.

Salvia pariter iecori prodest quum vino misceatur:  
Trita venenatos iuvat et superaddita morsus,  
Estque salus tremulis salvia poplitibus.  
Sambucus perfecte culinas exornat, quippe quae  
Herba quidem mollis, et bene grata cibis.  
Serpillum miscere cibis languentibus est mos;  
Compescit ventris tormenta namque mala;  
Aegroti capitis solet et sedare dolores...  
Ventris, e contra, dolores vincere bethonica  
Dicitur, a coena si modo sumpta fuit.  
Plinius hanc inquit qui secum gesserit herbam,  
Illi nec poterunt ulla venena dari.

(1) Cfr. num. X.

(2) Vulgo portulaca.

Denique

Marubii varios compescit potio morbos  
Pectoris; hoc tussim sanat et asthmaticos,  
Et iuvat ictericos, vulnera mundificat.

Pauca de radicibus et tuberibus:

Raphanus in dentes, caput et bona lumina saevit,  
Atque hinc ventriculos nauseat assidue.  
Rapa quidem calida est et corpus reddere potest  
Obesum, felix humiditate sua.  
Allia qui mane ieuno sumpserit ore,  
Hunc infecta nequit laedere lympha quidem.  
Pulmonis varias, coctum cum lacte (?!), querelas  
Proseribit, tumidos et iuvat hydropicos.  
Fallitis non esse bonas (ait ipse Galenus)  
Caepas, phlegmaticis sed bene proficias.  
Affirmant omnes mensis inferre saporem,  
Et tremulis membris reddere posse robur.

Insint conviviis madentia tubera rore; sunt enim  
..... faciles stomacho, sunt adduentia chymos;  
absit contra fungus, quem «lepram terrae» noster vocat,  
Et facit ut sanguis corruptus corpora tangat  
Udus, qui nimium febricitare docet.

\*\*

Ab herbis ad fructus breve iter: spicas legamus:  
Pertica siccata tenent ventrem, quae mollia solvunt;  
Ardenti stomacho sunt bene fida eadem.  
Et vacuum ventrem adstringunt modo pira, repletum  
Solvunt, iliacam sed peperisse valent.  
Prunaque convenient, quae mittit clara Damascus,  
Namque solent duri solvere ventris onus;  
Adstrictam solvunt alvum, sed pruna reposcent  
Prandia prima quidem, dum calor esse solet.  
Pruna autem silvestria «frigida sunt....»; pinea  
«intestina foveat nervisque subvenit»;  
Aeria confortant stomachum si sole perusta  
Cerasa, Lucullus quae intulit Italiae  
Arbuta, sorba tenent fluidos et mespila ventres,  
Si vacuus stomachus sumpserit illa simul.  
Fervet et emollit si dulcis, amygdala; amara est  
Asperior, mensas nesciat illa tuas.

Castanea, «nam calet igne nimis» in caput ventres fer-  
tur superbire; ficus, si nova, nocua est, nam fluxi-  
bus apta

Narratur, siecae ni sociata nuci est.

Nux communis vero

..... caput obtundit, linguam convulverat, et nux  
Pulmonem laedit; sed virus omne necat.

Itaque

Pontica nux capiti nocet, et tardissima ventri est,  
Maxime quae umbrosis nascitur in corylis.

Audiamus, quae spectant ad mala:

Corda iuvant flammis agitata, at noxia ventri  
Mala quidem; nervis haec nocuisse patet;  
Omnibus, ecce, nerantia sunt gratissima odore;  
Dulcia confortant, pectoribusque favent.

Mala punica

Dulcia sunt madidi roris, sicceti acria;.....

..... pulmoni haec sunt mala, at illa bona.

Sub finem mensae confecta cydonia prosunt;

Nam stomachi claudunt claustra benigna tui;

Cum tibi Cecropio confecta cydonio melle

Ponuntur, ventrem claudere certe queunt.

De uvis unicum hoc praecepsnm affert Willinganus:

Quam nigram gustes, quae sit tibi gratior uva,  
Neve inflet soles si remorata duos.

Non unicum vero monitum de uvarum succo; postquam  
enim de modo bibendi generatim adnotat:

Saepe bibas, semperque parum, si vivere sanus  
Ipse cupis; pocta maxima sunt bezoar; vini  
virtutes celebrat:

Corda iuvant vini calices, subitamque reportant

Laetitiam, vinum si moderate bibas.

Equod autem optimum vinum?

Si tibi delectum vini praescribere tentas,

Subrubeos primas crede tenere cados.

Hinc albo palmam tribuunt, sed maxime claro

Aetatis mediae, nam nova musta nocent.

Sunt nutritiva plus dulcia candida vina;

Sed iecur obturant, non bene tutae gulae.

Fortia disturbant nimiumque frequentia vina

Sensus, corrumpunt ventriculumque bonum.

Sunt insuper vina non ex uvis, sed aliis herbis con-  
fecta, in usum medicum plerumque adhibita; num  
haec poterat Ensishemensis archiater silentio praete-  
rire? Itaque docet:

Potificos antidotum est vinum de rore marino:

Confortat visum, cuncta venena fugat.

Dat sibi borago vinum, quod curat amentes.

Cardiacam tollit, laetitiamque facit.

Ex hyssopo latices patientibus ecce catarrhum

Proscribunt, pectus mundificare queunt.

Salvia denique cum vino «iecoris querelis prodest». At  
nihil de aqua? — Absit; sed

Potus aquae laedit ventrem, facit atque cruoress

Crudos: sic princeps Corduba quem genuit.

Ut ciborum argumentum absolvamus, pauca restant  
de lacte, butyro, caseo, oleo olivarum, melle et ovis.  
Iuxta nostrum,

Lac nocuum capit est, putridis et febribus; istud

Sed praestat caprae; post ovis; inde bovis.

Lac dabit aërei tibi condimenta butyri,

Quod facit ut sapient ferula cuncta tibi.

Caseus ante cibum confert, si defluat alvus;

Si constringatur, terminet ille dapes.

Exornat regum mensas sal (?); cetera vineit

Condimenta; cibos sal facit esse bonos.

Absque oleo lactuca quidem condita, saporem

Insipidum praebet, mollit et hoc stomachum.

Pectoribus, stomacho frigenti aptissima mella;  
Flava quidem, uti narrant, sunt magis apta gulæ.

De ovis haec regulæ pro lege tenendæ:

Quod bona sunt ova parvula, longa, nova.

Mollia pectus alunt, tussim sedantia raucam;

At durata time; nec diurna placent.

Absoluta tandem de cibo potuque tractatione, quæ est pars maxima operis sui, Georgius Pictorius noster ad alias «res non naturales» devenit; motum et quietem, somnum et vigilias, repletionem et inanitionem, ad ea denique, quæ de «animi accidentibus» sunt. Hanc viam magnis itineribus percurrit, in eaque non dissimili ratione ipsi nos insistemus, illamque etiam ob causam; quod, — pii doctoris medici Manes nobis parcant! — aliquot in locis auctoris mentem deprehendere nequivimus.

Itaque haec satis sint cuique mente tenere:

Ante cibos igitur moderatis gressibus uti.

Convenit; a mensa sed iuvat ipsa quies.

Ambulet a coena sole ingrediente Leonem;

Eligat et focum, dum bene Capra nitet.

Quod motus valeat Peligni carmina vatis.

His verbis pandunt, quodve quies valeat.

Cernis, ut ignavum corrumpant ocia corpus,

Ut capiant vitrum, ni moveantur, aquae.

Quod caret alterna requie durabile non est;

Haec reparat vires, fessaque membra iuvat.

Motum aliquando supplere frictio potest,  
Sensus quæ nutrit, calor ex qua crescit amicus,

Et firmat melius languida membra simul.

At vero

Excessum somni fugiat, qui corpore salvus

Esse cupit, morbos seu pepulisse graves.

Et septem horarum somnum sufficere credat,

Qui mentem et corpus corroborare queat.

Longior humectat cerebrum, torpedine corpus

Inficit, et frequens rheumata multiplicat.

Ast praelibatas si quis cognoverit escas

Duras, tunc somnus longior esse potest.

Sunt ii tamen, quibus longo somno perfrui queat:

Hos iuvat immensum somnus, quos arida crasis

Nutrit, sed pingues plus vigilasse iuvat.

Non aliter ac somnus nimis productus, vigiliarum quoque excessus mala damna ministrat;

In medio est igitur virtus; tenuere beati

Nam medium; medium pensitat ipse Deus. (?!)

Circa «repletionem atque inanitionem» monemur, veris tempore minuendum sanguinem, stomachi cor per vomitum purgandum, hepar per intestina, cerebrum per nasum:

Balnea morbosum recreant sulphurea corpus;

Ast eadem sanum pertimuisse velit.

Si gelida ingrederis, roboras, mihi crede, calorem;

Balnea sed tepida sunt fugienda tibi.

At vero ultimum praceptorum caput praestat audire, in quo reapse omnia servandæ vitae praecepta con-

tineri, quamquam ad Epicureum satis ritum, dicendum est:

Qui cupid Euroicae vatis complerier annos,

Delicias tractet, gaudia, mille iocos,

Laetitias, risus, ludos dulcesque cachinnos,

Nam sanum exanimant ira, metusque graves.

Nodosas rerum causas ac alta relinquat,

Neque velit mentem sollicitasse nimis.

Quae quidem nonnullos Fracastorii versus in mentem mihi revocant, quibuscum, parum fortasse notis, neque ipsis iniucundis, et clarissimo archiatro, et vobis, lectores benevolentissimi, tandem valedico:

Tu tamen interea effugito, quae tristia mentem  
Sollicitant, procul esse iube curasque metumque  
Pallentem, ultrices irae: sint omnia laeta.  
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quoque laeta iuvabunt  
Munera; sic dulces epulæ, sic copia rerum,  
Sic verbis, sic ruris opes ut summa voluptas.  
Visere saepe omnes nitidos, iucundaque Tempe,  
Et placidas summis sectari in montibus auras.

FORFEX.

## DE PAULO VERONENSI PICTORE

### DEQUE EIUS TABULA

#### MAGOS REGES REFERENTE AD PEDES IESU

Paulus Caliari, renascentis quæ dicitur aetatis inter pictoriae artis magistros præclarus, Veronensis cognomine est notus, quod ex patria suscepit. Magno præeditus ingenio, ut e pueris excessit, ad res lineis atque coloribus describendas totus se addixit, Antonii Badillo, avunculi sui, huiusmodi disciplina usus; quem brevi ita superavit, ut eius famam penitus obscuraverit. Titiani Vecellii stylo proprius accessit, Iacobumque Robusti, vulgo *il Tintoretto*, continenter voluit aemulari, quem nisi pingendi vi, tamen venustate atque magnificentia certe vicit. Quin imo et vultuum suavitatem (mulierum præsertim ac puerorum), et vestium representationem, quas cum veritate atque simplicitate summa, splendide miroque vigore redidit, a nullo homine eum aequatum haud iniuria dixeris. Id verum, quod critici ei culpae verterunt, tabularum comprehensiones absonas interdum ac mendosas apud eum videri; nihilominus rerum complexio ita oculis offertur, ut ad admirationem omnino trahat, nec defectibus colligendis locum ullum relinquat.

Huiusmodi virtutes ac vitia et in tabula deprehenduntur, quam (licet coloribus, id est maxima pictoris commendatione, destitutam), sub oculis lectorum hodie ponimus, antiquum morem sequuti, quo tempore Nativitatis Dominicæ memoria quotannis recolitur, artis specimen aliquod de arguento exhibendi, Proculdubio neque loca neque



Pauli Veronensis tabula Magos Reges referens ad pedes Iesu.

personarum habitus cum historia cohaerent: non illud certe fuit Bethlehemiticum tugurium; non certe illos reges comitabatur stipatorum illa loricata cohors, nec praeco ille, nec ille falconarius cum accipitri suo ad venationem instituto... Verum qui ubique magnifici paludamentorum ceterarumque vestium apparatus! Quae pompa in ipsa figurarum distributione! Quam placida Deiparae imago! Quam iucundus pueruli Iesu vultus; de quo nescis utrum admiratione magis an innocentia laetitia raptum suaviter affirmaveris! Neque consipienti tibi gratus minus acceptusque erit puer ille regius tanta

vultus itemque frontis ingenuitate munera divino infanti offerens! Quid denique dicemus de altero illo puero in tabulae margine posito, gestu tam proprio ac naturali per funem e scaena retrahens canem illum repticum et edacem?

Paulus Caliari, cuius opera per Europam universam disseminata sunt, an. MDLXXXVIII vita functus est, quinquagesimum octavum aetatis annum agens, filiumque Carolum habuit, qui picturae et ipse iniciatus, non patre indignus extitisset, nisi immatura morte, vix sex et viginti annos natus, fuisset corruptus.

## LUDI PUEGORUM APUD ITALOS

Ad terram respice et lupum cave.<sup>(1)</sup>

Vides hic in circulum compositos quindecim et amplius adolescentulos? Visne scire cur subridentes humi oculis respiciant, eorumque socius, tenens prae manibus sudariolum circumit subdole et secreta quaedam arcanaque verba leviter murmurat, veluti *saga punicea* quae singit *nomina cera*? Qui nunc caute incedit, nunc saltitat, nunc tandem et prolabitur? Olim hic iocus erat in more positus maxime apud Subalpinos, nunc unus vel alter vix nomine eum adhuc cognoscit.

En breviter quae ad hoc genus ludendi optime noscendum spectant.

Iocantes omnes festivi in medium procedunt, et in primis sorte eligitur qui ludi magister esse consuevit. Hie huiusmodi fortuna elatus sudariolum cum nodo in altera parte gerit, quod est suae potestatis testimonium. Quam superbe istud per aërem quassat, minitatur, ut olim patribus nostris horribiliter memorantibus erat in scholis tamquam inexorabile pensum, virga, et passim dicebatur: *ferulæque tristes sceptræ pedagogorum!*

Adsunt ergo puelli hi loquaces imprimis, hilaresque, quibus est ludendi voluptas suosque socios vellicandi gratiose. Omnes, ut supra memini me dicere, ponunt se se in orbem strictiorem in modum, atque ita ut nihil retro decernere possint. Dum vero oculos humili ex composito vertunt, manusque tergo et apertas retinent, silent, quoad per aetatem eis licebit, atque morantur. Nunc ludus incipit. Qui dux est atque magister et sudariolum præ manibus tenet ita circumire debet, ut industria ac celeritate in socii manibus sudariolum ponat, quin propior animo oculisque praesentiat. Ars enim summa est illi si dicere poterit:

*Qui nec opinanti nunc tibi forte venit!*

Deposito sic, maximo cum studio, sudariolo, dux, ne quis sibi forte dubitet, sed eo magis longius esse credat positum, currit adhuc ne suspicionem proximioribus iniiciat; tunc demum curiose sistit, et voce clarius exclamat:

— Qui habet, exeat!

Tunc videres omnes de se pertimescere, atque ad rectis auribus oculisque exspectare qui sudariolum manu referens, et dextrorum conversus propiorem socium sudariolo plectere, tundere plagisque crebrissimis vulnerare. Hic vero, saepe saepius, illusus assimulata castorum consuetudine, longe aliter reputans, abundantem flagitiorum segetem in tergo recipit. Qui sudariolo sic est acerbe percussus, exit e suo loco atque in orbem circumit usque dum ad suum iterum locum perveniat. Cavendum sane, ne, rei novitate territus, vel ipsis vulneribus commotus, haud ita pridem locum suum rapide inveniat, vel longe aliter pedibus erret! Et ipsi socii

saepe numero industria locum eius præoccupant, ne tam cito illum recipiat nec facilius agnoscat. Tunc flagella iterantur, spissantur, iterum iterumque densantur. Ut Ovidius meminit, nescio quo in carmine, ubi mirum in modum taurorum cladem inopinanter describit:

*Haud expectato ceciderunt vulnere tauri.*

Quae laetitia sociorum, qui rumor gentium! Subridentes, exclamantesque illudunt lepide socio sic plagis obruto, eum admirantur, plectentem insuper vocibus irritant, ut in verberibus insistat ac prosequatur. Haud rarius vel fraus intervenit. Qui enim astutia pollet ingenioque, ut sibi propiorem lepide territet, sudariolum sese habere simulat, eumque percutere minitatur, qui rapidis pedibus fugere pertentat ut vulnera vitet.... Namque accidit quoque ut quis fugientem supplantare studeat, praesertim cum terrore nimis exactus virginum currit, et «summo vestigia pulvère signet!»

Tune nova, iucundaque ridendi causa, flagitiorumque occasio. Res vero curiosior esset, quum qui hanc simularer irridendi rationem in socium, sibimet deberet capere fugam! Suus enim vicinus qui ad latus est leve sudariolum reapse tenet, eumque plectere debet. Tunc quam vere dicendum: *Ardet iam proximus Ucalegon!* Eheu! fuge! fuge, ni vis et tibi plecti tergora virgis!

Tunc ad lassitudinem quoque corporis sedandam, ut in rebus bellicis fieri solet, animi opperiantur, ludere aliquantis per cessant.

Nec velim, lector, putas humanitatem deesse in ludis ac comitatem. Sudariolo enim passim viso acrius quis plectitur, sed mulcetur potius atque leviter carpitur, quin imo, ut rectius dicam, vellicatur. — Hoc unum in ludendo sibi nostri proponunt: ut animus a laboribus fessis honeste ac modeste recrearetur.

Abhinc paucos dies ipsem vidi et milites nostros, laboribus armorum in Martis campo intermissis, ad iuvenilem iocum festivos redeuntes, ut aliquod sibi animisque solatium pararent. Nec sane iniucunde, nec parvo adstantium delectamento. Alio vero nomine donatur.

\*\*\*

Sic huic, qualecumque sit denique opus *de ludis apud Italos*, scribendi generi finem imponam. Sed antequam a vobis, humanissimi lectores, supremum recedo, meos velim cives monere, ut vel in ludis ad antiquorum nostrorum mores redeamus, qui corpora maxime quum exercere studerent, ad levamen animorum adibant, ut postea maiori alacritate ad studia incumbenter, ad artes quibus est virtus adhibenda morumque sanctitas.

SUBALPINUS.

*Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.*

VALER. MAX., de Relig., I, 1.

(1) Vulgo in Subalpinis: *A guarda in terra, guarda 'l luu.*

## ACTA PONTIFICIA

**Constitutio Apostolica de Sanctissima Eucharistia promiscuo ritu sumenda.**

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Tradita ab antiquis, haec diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios, pro diversis locis, mores ritusque saerorum, modo superstitionis ed idolatriae suspicio omnis eis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat, pacis et coniunctionis gratia, inter multiplicata unius Ecclesiae Catholicae membra, seu particulares ecclesias, confonvndae, secundum illud sancti Leonis IX: «nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una Fides per dilectionem operans bona quae potest, uni Deo commendat omnes». (1)

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in exteras regiones advenissent, iis plerumque nec sacrae ibi aedes nec sacerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat, quae ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quae dicebantur, litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi, presbyteri ac diaconi latini cum graecis hic Romae, graeci cum latinis in Oriente divina concelebrant mysteria: quod usque adeo evasit sollemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse discessae vel unitatis fidei vel concordiae animorum.

At vero, postquam magnam Orientis Christiani partem a centro catholicae unitatis lamentabile schisma divellerat, consuetudinem tam laudabilem retinere iam diutius non licuit. Quum enim Michaël Caerularius non solum mores caerimoniasque latinorum maledico dente carperet, verum etiam ediceret aperte consecrationem panis azymi illicitam irritamque esse, Romani Pontifices, Apostolici officii memores, latinis quidem, ad avertendum ab eis periculum erroris, interdixerunt, ne in pane fermentato sacramentum conficerent neu sumerent; graecis vero, ad catholicam fidem unitatemque redeuntibus, veniam fecerunt communicandi in azymo apud latinos id quod pro iis temporibus et locis opportunum sane erat, immo necessarium. Quum enim nec saepe graeci tunc invenirentur episcopi huic beati Petri cathedralae coniuneti, nec ubique adessent catholica orientalium templa, timendum valde erat, ne orientales catholici ad schismaticorum ecclesias ac pastores cum certo fidei periculo accederent, nisi apud latinos communicare ipsis licuisset.

Iamvero felix quaedam rerum commutatio, quae postea visa est fieri, cum in Concilio Florentino pax Ecclesiae graecae cum latina convenit, veterem disciplinam paulisper revocavit. — Nam statuerunt quidem

eius Concilii Patres: «in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem». (1) Sed hoc decreto voluerunt sane catholicam veritatem de valida utriusque panis consecratione in tuto collocare, minime vero promiscuam communionem interdicere fidelibus, quibus contra, quin eam confirmandae pacis causa concesserunt, non est dubium. Exstat Isidori, metropolitae Kioviensis et totius Russiae, luculentissima epistola, quam absoluta Florentino Synodo, cuius pars magna fuerat et in qua Dorothei patriarchae Antiocheni personam gesserat, Legatus a Latere in Lithuania, Livonia et universa Russia, dedit anno MCCCCXL Budae ad omnes qui sub ditione essent Ecclesiae Costantinopolitanae: qua in epistola, de reconciliata feliciter Graecorum cum Latinis concordia praefatus, haec habet: «Adiuro vos in D. N. I. C. ne qua divisio vos inter etlatinos amplius subsistat, cum omnes sitis D. N. I. C. servi, in nomine eius baptizati... Itaque graeci qui in latinorum regione degant aut in sua regione habent latinam ecclesiam, omnes divinam liturgiam adeant et corpus D. N. I. C. adorent, ac corde contrito venerentur, non secus ac id in propria ecclesia quisque faceret, nec non et confitendi gratia latinos sacerdotes adeant, et corpus Domini Nostri ab eisdem accipiant. Similiter et latini debent ecclesias graecorum adire et divinam liturgiam auscultare, fide firma corpus Iesu Christi ibidem adorare. Utpote quod sit verum I. C. corpus, sive illud a graeco sacerdote in fermentato, sive a latino sacerdote in azymo consecratum fuerit, utcumque enim aequa veneratione dignum est, sive azymum sive fermentatum. Latini quoque confiteantur apud sacerdotes graecos et divinam communionem ab eisdem accipiant, cum idem sit utrumque. Ita nempe statuit Cone. Florentinum in publica Sessione die VI Iunii a. MCCCCXXXIX».

Etsi autem Isidori testimonio evincitur factam esse Florentina Synodo facultatem fidelibus promiscuo ritu communicandi, tamen facultas huiusmodi subsecutis temporibus nec ubique nec semper fuit in usu: ideo praecepsim quia, cum male sartam unitatem mature Graeci rescidissent, iam non erat, cur Pontifices Romani quod Isidorus a Florentina Synodo indultum referat, curarent observandum. Pluribus nihilominus in locis promiscuae Communionis consuetudo mansit usque ad Benedicti XIV Decessoris N. aetatem, qui primus Constitutione *Etsi pastoralis* pro Italo-Graecis die XXVI Maii anni MDCCXLII graves ob causas vetuit, ne laici latini Communionem a graecis presbyteris sub fermentati specie acciperent; graecis autem propria paroecia destitutis facultatem reliquit, ut in azymo apud latinos communicarent. Ubi vero Graecis et Latinis una simul commorantibus suasque habentibus ecclesias, usus invaluisset Communionis promiscuae, commisit Ordinariis,

(1) Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham.

(1) Ex Bulla Eugenii IV «Laetentur Caeli».

ut, si huiusmodi consuetudo removeri sine populi offendioce animorumve commotione non posset, omnium cum lenitate curam operamque in id impenderent, ut semper Latino in azymo communicarent, Graeci in fermentato. Quae autem pro Italo-Graecis Decessor Noster statuit, eadem ipse postea ad Melchitas quoque et ad Coptos pertinere iussit: eaque paullatim ad omnes transierunt Orientales, consuetudine potius quam legis alicuius praescripto; non ita tamen, ut quandoque Apostolica Sedes idem non indulserit Latinis, quae etiam Orientales non destituti ecclesia propria, neque ulla urgente necessitate, ut communicarent in azymo, pluries passa est, immo permisit.

Quod praecipue factum est, posteaquam, animorum studio flagrantes, nonnullae religiosae Familiae tum virorum tum mulierum ex variis Europae regionibus ad Orientis oras advectae, auxilium catholicis diversorum rituum, multiplicatis apud ipsos christianaee caritatis operibus collegiisque ad institutionem iuuentutis ubique apertis praebuerunt. Cum autem hae Familiae ob frequentem Eucharistiae usum quietam et tranquillam inter difficultates et aerumnas vitam agerent, ex orientalibus, quod genus valde ad pietatem proclive est, facile ad imitationem sui multos excitarunt: qui cum aegre apud suos vel ob distantiam locorum vel ob penuriam sacerdotum et templorum, vel etiam ob diversas rituum rationes huic desiderio possent satisfacere, ab Apostolica Sede instanter gratiam postularunt accipiendae Eucharistiae, more Latinorum. Hisce postulationibus Apostolica Sedes aliquando concessit: atque ephebis, qui in Latinorum collegiis educarentur, item ceteris fidelibus, qui eorum templa celebrarent ac piis consociationibus essent adscripti, permisit, salvis quidem iuribus parochorum, potissime quoad paschalem Communione et Viaticum, ut pietatis causa intra annum in templis Latinorum eucharistico pane a latinis presbyteris consecrato reficerentur. Quin etiam in ipso Concilio Vaticano *Commiss' o* peculiariis negotiis Rituum Orientalium praeposita hoc inter alia sibi proposuit dubium, an expediret relaxare aliquantulum legum ecclesiasticarum severitatem de non permiscendis ritibus maxime in Communione Eucharistica, veniamque tribuere fidelibus communicandi utrovis ritu: cumque eius Commissionis Patres adnuendum censuerint, decretum confecerunt in eam sententiam; quod tamen, abrupto temporum iniuitate Concilio, Patribus universis probandum subiicere non licuit. — Post id temporis S. Congregatio Fidei Propagandae pro negotiis Rituum Orientalium, ut solatio consuleret eorum, qui ob inopiam ecclesiarum vel sacerdotum proprii ritus a Communione saepius abstinere cogebantur, decretum die XVIII Augusti anni MDCCCXCIII edidit, quo ad promovendam Sacramentorum frequentiam, omnibus fidelibus ritus sive latini sive orientalis, habitantibus ubi ecclesia aut sacerdos proprii ritus non adsit, facultas in posterum tribuitur communicandi, non modo in articulo mortis et in Paschate ad observandum praeceptum,

sed quovis tempore, suadente pietate, iuxta ritum ecclesiae loci, dummodo sit catholica.

Decessor autem Noster, Leo XIII fel. rec. in Constitutione *Orientalium dignitas Ecclesiarum*, eiusdem gratiae participes fecit, quicumque propter longinquitatem ecclesiae sua, nisi gravi cum incommode, eam adire non possent. Simul vero prohibuit, ne in collegiis latinis, in quibus plures alumni orientales numerarentur, latino more hi communicarent; praecipue ut acci- rentur eiusdem ritus sacerdotes qui sacrum facerent et sacratissimam Eucharistiam illis distribuerent, saltem diebus dominicis ceterisque de praeepto occurrentibus festis, quovis sublato privilegio. Sed tamen experiendo est cognitum, non ubique facile inveniri sacerdotes orientales, qui, cum alibi occupati sint in ministerio animarum, diebus dominicis et festis atque adeo ipsis profestis diebus queant collegia adire Latinorum, ut pueris puellisque esurientibus panem angelicum ministrant.

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicae Sedi, ut disciplinam Ecclesiae tanta in re indulgentius temperaret. Quae preces supplices, post editum die xx Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana Communione Eucharistica, multo frequentiores fuerunt ab Orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent caelesti dape recreari, in eisne non pauci numerabantur pueri ac puellae, qui hoc ipsum beneficium participare percep- perent.

Itaque, considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum Latinos tum Orientales, quibus illa promiseui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit, exquisita sententia Sacri Concilii christiano nomini propagando pro negotiis Orientalium Rituum, re mature perpensa, visum est omnia illa antiqua decreta, quae ritum promiscuum in usu Sanctissimae Eucharistiae prohibent vel coangustant; atque omnibus et Latinis et Orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cuiusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi, ut « omnes et singuli qui christiano nomine censemur, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando convenient et concordent ». (1)

Equidem confidimus, quae hinc praescribuntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia non solum ad inflammandum in eis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam. — Etenim quod ad pietatem attinet, nemo non videt divinam Eucharistiam, a Patribus Ecclesiae latinis graecisque quotidianum christiani hominis panem solitam appellari, utpote qua sustentetur et alatur tamquam valetudo animae, multo

(1) Conc. Trident. Sess. XIII.

magis frequentandam eis esse, quorum caritas vel fides, seu ipsa supernaturalis vitae principia, maiore in discrimine versentur. Quare catholici orientales, quibus est in media multitudine schismaticorum habitandum, non ex periculo eorum convictu aliquod fidei caritatisque detrimentum capient, si hoc se cibo caelesti roborare consueverint, sed magnum et perpetuum in se vitae spiritualis sentient incrementum. — Quod spectat alterum, patet proclive factu usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causae aemulacionum et discordiarum exsisterent. Nunc autem, cum huius mensae, quae symbolum, radix atque principium est catholicae unitatis, promiscuam esse omnibus fidelibus communicationem volumus, primum est debere inter ipsos increscere animorum concordiam, « quoniam unus panis, ait Apostolus, unum corpus » multi sumus, omnes qui de uno pane participamus ». (1)

Haec Nos igitur de Apostolicae potestatis plenitudine statuimus et sancimus :

I. — Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus nolleceat : propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini confiant et ministrent.

II. — Ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam consecratam in azymo, vicissim Latino aut Orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato ; at suum quisque ritum ministrandi servabit.

III. — Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipient.

IV. — Quisque fidelium praeecepto Communionis paschalisi ita satisfaciet, si eam suo ritu accipiat et quidem a parocho suo : cui sane in ceteris obeundis religionis officiis addictus manebit.

V. — Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii parochi accipiendum est : sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere : qui tamen ritu suo ministrabit.

VI. — Unusquisque in nativo ritu permanebit, etiamsi consuetudinem diu tenuerit communicandi ritu alieno ; neque ulli detur facultas mutandi ritus, nisi cui iustae et legitimae suffragentur causae, de quibus Sacrum consilium Fidei Propagandae pro negotiis Orientalium iudicabit. In his vero causis numeranda non erit consuetudo quamvis diurna ritu alieno communicandi.

Quaecumque autem his litteris decernimus, constituimus, declaramus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus et mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine ; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus ac praeescriptionibus ; quibus

omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. — Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur Fides, quae praesentibus hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo duodecimo, in festo Exaltationis S. Crucis, xviii Kalendas Octobres, Pontificatus Nostri anno decimo.

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Novembri MCMXII).

### Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quiske muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem : De Fitalia Princeps, eiusque uxor ; Marschal, Comes ; Dmitri Nélidow, doctor, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Russici Imperii apud Apostolicam Sedem ; Carolus Jimenez, Civilium rerum, Iustitiae Cultusque minister in Costarica republica ; De Montebello Comissa ; Otho de Ritter de Gruenstein, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Bavarii regni apud Apostolicam Sedem, De Treviso, Dux, eiusque uxor ; De la Tour d'Auvergne Princeps foemina ; Supremus Melitensis Militaris Ordinis Magister ; Maria Wolkonsky, Princeps foemina ; De la Real Piedad Comitissa ; Christina ex Urbanis Principibus Giustiniani Bandini, Coetus Italorum Catholicarum Mulierum Praeses.

### Pontificiae electiones.

*Nominationes episcoporum.* — Per S. Congregationis Consistorialis decreta SSmus D. N. Pius PP. X has quae sequuntur Ecclesias de proprio pastore providit, scilicet : Metropolitanae ecclesiae Torontinae praefecit rmum. d. Nilum Mc. Neil, hactenus archiepiscopum Vancouverensem ; cathedrali ecclesiae Cuernavacensi sac. Emmanuel Fulcheri, archidioec. Mexicanae, ibique canonicum ecclesiae metropolitanae et rectorem seminarii dioecesani ; cathedrali ecclesiae Antigonicensi sac. Iacobum Morrison, dioec. Carolinopolitanæ, parochum Ecclesiae vulgo Vernon River ; titulari eccl. archiepiscopali Palmyrensi revmum. d. Antonium Sardi, hactenus episcopum Anagninum ; metropolitanæ eccl. Vancouverensi rmum. d. Timotheum Casey, hactenus episcopum S. Ioannis in America ; metropolitanæ Ecclesiae Portalegrensi in Brasilia rmum. d. Ioannem Becker, hactenus episcopum Florianopolitanum ; cathedr. eccl. S. Ioannis in America sac. Eduardum Le Blanc, parochum S. Bernardi in archidioecesi Halifaxensi ; tit. eccl. episc. Delcensi sac. Henricum Haehling de Lanzenauer, decanum capituli cathedr. Paderbornensis, quem constituit auxiliarem rmi. d. Iosephi Schulte, episcopi Paderbornensis ; metropolitanæ ecclesiae Hydruntinae rmum. Iosephum Ridolfi, hactenus archiepiscopum tit. Apamensem ; cath. eccl. Cenomanensi sac. Raymundum de la Porte, dioec. Versaliensis, parochum decanum eccl. B. M. V. in urbe Versaliensi ; tit. eccl. episcopali Uranopolitanæ sac. Dominicum Carrerot, Ord. Praedicatorum, et superiorem conuentus loci

(1) I Corinth. X, 17.

vulgo *Conceição do Araguaya* in Brasilia; cathedralibus ecclesiis Pennensi et Atriensi sac. Carolum Pensa, presbyterum oblatum S. Caroli in Mediolanensi archidioecesi; archiepiscopali ecclesiae Spoletanae sac. Petrum Pacifici, Congregationis Somaschae; cathedrali ecclesiae Balneoregiensi sac. Aemilium Poletti, dioecesis Comensis, ibidem parochum loci vulgo *Menaggio*; tit. eccl. episcopali Himeriensi revnum. d. Ioachim Iosephum Vieira, hactenus episcopum Fortalexiensem; cathedr. eccl. Fortalexiensi in Brasilia revnum. d. Emmanuel do Silva Gomes, hactenus episc. tit. Mopsuesitanum.

Brevibus autem Apostolicis nominati sunt: Archiepiscopus Babylonensis Syrorum r. d. Moyses Dailal; episcopus Iazirensis Syrorum r. d. Michaël Malche; episcopus tit. Danabensis et auxiliaris Patriarchatus Syri r. d. Dominicus Abdalah Tappuni; episcopus tit. Arethasius r. d. Moyses Sarkis, chorepiscopus ritus Syri.

Litteris denique S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Carolus Cox, ex Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae nominatus est Administrator Apostolicus Transvaalensis.

— Emus. P. D. Ludovicus Billot inter Purpuratos S. Rituum Congregationis, et EE. PP. DD. Ianuarius Granito Pignatelli de Belmonte, Caietanus Bisleti et Gulielmus Van Rossum inter Purpuratos S. Congregationis Concilii adleguntur.

— Emus. P. D. Marianus Rampolla Del Tindaro S. Romanae Ecclesiae Bibliothecarius renunciatur, loco Emi. Card. Alfonsi Capecelatro vita functi.

— R. d. Eugenius Pacelli, S. Congregationis pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis Prosecretarius, in numerum Consultorum Supremae S. Officii Congregationis refertur.

### Vita functi viri clariores.

Die VIII mens. Novembbris MCMXII, Capuae, Purpuratus Pater **Alfonso Capecelatro de Castelpagano**, illius Metropolitanae ecclesiae ab anno MDCCCLXXX archiepiscopus, S. Romanae Ecclesiae Bibliothecarius; Massiliae ex Neapolitano nobili genere ortus d. v mens. Februarii MDCCCLXXIV, in Sacrum Senatum cooptatus d. xxvii m. Iulii MDCCCLXXXV; vir multarum litterarum, magni animi atque pietatis summae in Deum et homines.

## ANNALES

### Balkanicum bellum.

Balkanicarum gentium quod nunc geritur bellum in Turcas, et per se, et per repercussus, qui in omni Europa necopinato gigni possunt, omnium animos suspensos tenet. Cuius confictationis summa referentes, gesta cuiusque exercitus singulatim prosequemur.

Ac primo Bulgarorum; qui, Lule Burgas oppido capto, ad Vizae colles progressi sunt, Turcas cogenentes intra Ciatalgiae munimenta se recipere, ubi incerta adhuc, prout videtur, fortuna pugnatur. Neque Adrianopolim urbem in potestatem suam tandem redigere Bulgari valuerunt, quamquam a Serbis agminibus adiuti; neque maiores successus in mari reportarunt, licet *Hamidiè*, Turcarum loricatam navem, in Pontu Euxino graviter offenderint et Cek Medyè usque ad sinum in Propontide processerint: a Turcarum enim navium tormentis petiti, ad septem triones vertere coacti sunt. Alia

denique Bulgarorum acies Dramam urbem expugnavit, Kavala ad sinum tendens.

Serborum, contra, virtus felices habuit exitus. Novi enim Bazar regionem omnem quum ii tenuissent, praeter Vardar flumen viam per Gostivar, Prilip et Demirkapu ingressi sunt, ac Monastir ad urbem magnam victoriam obtinuerunt, urbem ipsam ad ditionem perpellentes, in qua quinque supra quadraginta Turcarum millia, et ipsum copiarum ductorem summum Zechi, captivos fecerunt. Paucos autem hostes, qui fugae sese commiserant, Florinae Serborum equites assequuti sunt ac disiecerunt, ope etiam primi Graeci exercitus agminis ab austro venientis. Inde bifariam divisi, Serborum alii, meridiem versus, iter ad Castoriam fecerunt; alii, ex Albania profecti, ad S. Ioannis de Medua cum Nigri Montis copiis sese feliciter coniunxere, Alexioque urbe cum his potiti, ad Dyrrachium intenderunt.

Huiusmodi sociorum interventus eo magis ipsum Nigri Montis exercitum iuvit, quod alterna vice semel et bis illa loca occupaverat ac perdiderat; dum Vucotic imperator Scodram obsessam tenet.

Graeci denique, praeter Samothraciam, Thason, Nicarion, Mitylenen et Chion insulas, in potestatem suam redegerunt Prevesa, Venitzé Vardar, ac deinde Salonicum, cuius quidem urbis praesidium, viginti et septem millibus hominum constans, arbitrio victoris arma posuit. *Diadochos*, quo cum Serborum agmen statim sese coniunxit, magnis honoris exceptus, Salonicum sollemniter ingressus est die VIII mens. Novembbris, S. Demetrio, civitatis patrono, sacra. In ipso Thessalonico sinu Ekaterina quoque oppidum Graeci apprehenderunt, et ad meridiem Ostowii lacus, inter Cailam et Castoriam, proelia etiam non sine fortuna egerunt.

Inter haec Albanica regio Vallonae libertatem suam promulgat; pro qua, quum contra Serborum cupiditatem Dyrrachium portum habendi, Austrorum imperium stare videretur, timor fuit ne acrius bellum inde oriretur, eoque magis quod Russia, quae Serbis favere dictabatur, ad fines suos copias colligeret. Nubes vero, fausto alite brevi evanescunt, neque in caelis rursus minitantes eas apparituras sperare iuvat, si Eduardi Grey, Anglii administri, consilium acceptum fuerit internationalem legatorum coetum convocandi, quibus, post pacem a Balcanicis populis cum Turcis compositarum, hoc sit mandatum, quaestiones ex novo rerum statu ceteris Europae gentibus genitas tranquille componendi. Atqui iam armorum inducias inter dimicantes serio nunciantur.

### Mauritanae res.

Quae ex Mauritania referuntur meliora esse nequeunt: Lyautey, Gallicum praetorem, Lutetiae Parisiorum esse, ubi tandem foedus cum Hispania est ictum; El Hibb autem, Mauritanum imperium appetentem, ubique debellatum, in maximo discrimine versari.

\*\*\*

**Russica pactio de Mongolia.**

Cum Russico imperio Urgae praefectus res de Mongolia controversas per pactionem transegit; quae si Yuan-sci-ka, Sinensis reipublicae praesidi, parum placuit, ita ut explicationes non sine acrimonia a paciscentibus requisiverit, non tamen est dubium quin, ne manifesto periculo civitatem suam obiciat, ratam eam is denique faciat.

**PUBLICI PER ORBEM COETUS  
legibus ferendis**

In **Anglia** rogatio legis pro suffragii iure mulieribus in Hibernia concedendo reiecta; deque separatione inter Ecclesiam et Statum in Vallia acriter disputatum.

In **Austria** lex de iuridico, prouti dicunt, civilium officialium statu in examen vocata.

In **Belgica** Michel, bellicae rei minister, a munere se abdicavit.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** novus rei publicae praeses suffectus Woodrow Wilson.

In **Gallia** rationes acceptorum et expensarum pro civilibus negotiis ratae habitae; gubernii vero legis rogatio de minoribus praefecturis abolendis necessaria favorabilia suffragia non obtinuit.

In **Germania** publici coetus sessiones resumptae, cui praefectus Kaempf est.

In **Hispania** post nefariam Canalejas, supremi administris, caudem, in eius munus suffectus est Romanones, publici legatorum coetui praepositus, cuius locum Moret vicissim obtinuit.

In **Hungaria**, quum administratorum collegium et ipse coetus praeses arrogantibus factionis gubernio obstantis petitionibus vehementer resisterent, factio eadem anterioribus sessionibus adesse negavit.

In **Italia** nova coloniis moderandis administratio constituta, novaeque rationes in iudiciis ordinandis legatorum disceptationi subiectae.

In **Norvegia, Rumenia et Russia** nova comitia habita.

**PER ORBEM**

Die II mens. Novembbris MCMXII Acapulco, Seentrionalis Americae portus, foeda tempestate longe lateque pessumdatatur.

— d. VIII Berolini, tres supra octoginta annos natus, cursum vitae absolvit Botho de Eulenburg, Comes, vir in Germanorum publica re valde exercitatus. Fuit enim civilium negotiorum gestor cum Bismarkio illo ab anno MDCCCLXXVIII ad an. MDCCCLXXXII, atque deinde per duos annos Imperii Cancellarius; quo munere se abdicavit an. MDCCXCIV ut privatus viveret.

— d. XI curruum series mercibus onostorum vapore actus in viatorum alteram, Iazoo, prope Novam Aurelianensem Americanam urbem, misere occurrit. Triginta viatorum mors horribilis, quinqa ginta et ultra lugentur vulnera.

— d. XII similia, quamquam minori forte victimarum numero, ad stationem Russiae australis Lipchong, accidentunt.

Madriti, Iosephus Canalejas, collegii administratorum praeses, apud « Solis Portam » ab anarchista quodam manuballistulae ictibus nefarie petitur et occiditur. Tertium supra quinquagesimum defunctus agebat annum, summaque imperii tenebat ab anno MCMX.

— d. XIII Nobelium praemium an. MCMXII attributum nunciatur de physice Dalen, machinationum doctori ex urbe Stocolma, de chemia Grignard, doctori Nanceyensi, ac Sabatier, Tolosani athenaei magistro; de litteris denique Gerardo Hauptmann, Teutoni dramatum scriptori ac poetae.

— d. XV lembus, milites finium custodes per Danuvium flumen vehens, ad Kalarassi oppidum subvertitur. Ex gurgite quadraginta exanimata naufragio corpora heu! trahuntur.

— d. XXI procella ab imo vertens mare, Saynora Lumar, Iamaici litoris urbem, fere omnino destruit.

— d. XXVI Bruxellis obit Maria, Flandriae Comitissa, Belgarum regis mater. E principibus Hohenzollern genita d. XVII mens. Novembbris MDCCXLV, Berolini Flandriae Comiti nupserat d. XXV mens. Aprilis MDCCCLXVII.

— d. XXVII Nobelium huius anni praemium de naturae disciplinis De Noter doctori adjudicatur.

— d. XXIX Samar, Leyte atque Panay insulis violentus « typhon » magnam vastitatem infert.

**AENIGMATA**

I (vulgo REBUS).

T  
U neque S neque

II.

*Pars me bina creat, benigne lector,  
Quarum posterior priorem adaequat  
Tam bene, ut nequeat puella matrem  
Adaequare mage, aut soror sororem.  
Si iungas simul, ut solent, utramque,  
Cultam me fieri Deam videbis,  
Qua dat pinguia dives arva Nilus.*

V. C.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:**

MANUTHII PAULI EPISTULAE SELECTAE

(Edid. M. Fickeelsherer).

Aenigmata an. XV, n. IX proposita his respondent:

(1) Bis bina sunt quattuor.

(2) Ventus.

Ea rite soluta miserunt:

Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Steph. Kempa, *Strosisca*. — F. X. Ghion, *Ostunio*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Petrus Tergestinus - Iac. Gomez, *Caesarangusta*. — Vinc. Starace, *Neapol.* — Nic. Endrigi, *Salisbury*. — E. Burg. *Monachio*. — F. Arnori, *Mediolan*. — Rich. Müller, *Berolino*. — I. Ortiz, *Morelia*. — R. Richi, *Traianopolis*. — F. X. M., *Drepano*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alb. Kain, *Lublino*. — A. Bounin, *Aurelian*. — Leon. Feher, *Chicagin*. — Alois. Geyer, *Ratisbona*. — Iac. Menendez, *Madrito*.

Sortitus est praemium:

IACOBUS GOMEZ,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII

LUSUS PASTORALES

(Latine vertit Ioannes Baltani).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina Societatis Editricis Romanæ.

## AD ROMIAM

## ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

3)

## SCENA III.

CIVES circumspicientes curiose transeunt, quos milites proximant, dicentes :

VITULUS.

Heic quid vobis est, o cives, muneris?

VELOX.

Ite hinc recto, vultis ne succidat mali!

I. CIVIS.

Sumus nos cives innoxii criminis,  
Et ire possumus citra consilium...

(Alii supervenient ebrii ultro canentes) :

Bacchus Deus nos protegit  
Devote pro quo vivimus;  
Vinum bibendo conditum,  
Clamamus usque nos evo!

VITULUS.

Silete, cives!

I. EBRIUS.

Iubet quis silentium?

VELOX.

Nos admodum!

VITULUS.

Sumus qui cives ordinis.

(Ebrii silent et ore oculisque minantibus, pedibusque incertis errant. Longe incipiunt canere... Quum cantus cessat,

VELOX (solemnis ironice).

Ite vos, cives! Vos, togata natio!

Suo quae rededit gentes imperio.

VITULUS.

Ad nos revertemur! Venit sed aemulus,  
Eumque ad frugem meliorem corriget!  
Clamores gignit, addit et fiduciam,  
Et omnes ad se populos sollicitat.

VELOX.

Esset ad pugnam vocandus exercitus...  
Fremunt dum milites pugnae cupidine.

VITULUS.

Datur sed artibus Maxentius magicis!  
Scrutatur intimum consilium Numinum,  
Secundo pueros ipsos et mulieres,  
Ut iure videat, mediis visceribus,  
Velint ab ipso quid divisorum numina!

VELOX.

Potest quid alter cogitare foedius?

VITULUS.

Sed adsunt cives, nunc iuvat secedere.

## SCENA IV.

VIGETIUS, VELOX et VITULUS.

VIGETIUS.

Quid hic vos, milites, otiosi statis?

Oportet at magis vos esse vigiles!

VELOX.

Seimus!

VIGETIUS.

Quid dicitis? Surgunt pericula,  
Et imperator vivit in angustiis...

Ite per Urbem; caute, inopini invadite,  
Referte multa nostrae quae causae serviunt.

Sic itur ad astra! Crescit et marsupium. (exit).

VELOX.

It iste dextrorum?

VITULUS.

Sinistrorum ibimus.

## SCENA V.

CHRISTIANI CIVES.

(Nocturnis vigiliis exeuntibus, haec inter se dicunt:)

1. CHR. Dei manus gravis super nos cecidit,  
Nimis quod fuimus Christi nunc immemores!
  2. Quis, eheu! potest e faucibus nos eripere  
Maxentii? Novis qui semper artibus  
Vexat nos, percutit, ducit ad incitas?
  3. Adest nobis, boni, Pontifex pervigilans,  
Prudens et providus nostris negotiis...
  4. Solet qui sollers admovere lapidem  
Omnem pro nobis! Verbis hunc et precibus  
Eum movet! Tollit quot a formidine  
Tenentur tandiu strincti qui vineulis.
  5. Adasset noster Constantinus strenuus...
  1. Noster? Quid inquis? Audiunt sed plurimi...
  5. Fuit praeterito mox Romae tempore!  
Est mente Romanus, manu, virtutibus.  
Novum saeclorum restaurabit ordinem:  
Ab Urbe barbaros expellet perfidos,  
Nobisque pacem, religioni dabit!
  2. Sed ipse!
  3. Dicis imprudens!
  2. Maxentius  
Modo stipatus suis satellitibus  
Adest in urbe tamquam in solitudine.
  3. Cunctis prudentiam commendō maximam.
- (Redeunt VITULUS ac VELOX).

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.